

dines ad id necessarias, quo saluaretur.

19 [Sed ¶ an id quod diximus, quod quādo tempus non datur, tunc sufficit contritio generalis in confusio, habeat etiam locum in martyre, ut si est alicuius peccati cōsciū, actu peniteat eo modo, quo potest. Respon. Secundum commu. & tutiorem opinionem, quā sequitur Sotus, & Sotus, d. 15. quæst. 1. ar. 2. quod si martyrio expositus inducias habet, ut possit peccata recolere, v. g. dum est in carcere, ad id tenetur. Imo si copia suppetit sacerdotis, & temporis, confitenti tenetur, si singulare est confessionis præceptum in articulo mortis. Quod si tantum temporis non habet, possit tamen habere dolorem in genere, ad id etiam obligatur: At si atrocitas mortis martyris mentem sic occuparet, ut nullo modo ad peccatorum contritionem cogitaret, & tūc arbitror, quod illa perpeffione martyrii obtinebit veniam apud Deum, dummodo non sit alicuius peccati mor. actualis complacentia, aut propositum. Hinc sequitur, concubinarium, usurarium, meretrices, & alios id genus homines, uel hēreticum, cum sunt in malo statu, si habeant suorū peccatorum complacentiam, quamuis in contumelia Christi occidantur, nō consequi gratiam, neque ueniam, antequā eos suorum scelerum peniteat. Confirmatur ex D. Paulo: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ita Ioseph. in Flor. Theolog. de Sacram. penit. q. 1. art. 4. Sotus in lib. 1. de nat. & gratia, c. 18.]

20 Subsequitur ¶ modò, ut exploremus, illa singularis cōtritio peccatorum, qualis esse debeat. Quod enim non debeāt singulis peccatis singule correspondere contritiones, inde apparet, quia non est in potestate hominis, maxime ubi ingēs est delictorum acervus, tot numero habere dolores. Quinimo de rebus lætis neq; possibile apparet, ut homo tot possit intercifas habere lætities. Quare Caiet. inquit, quod sensus illorum uerbo-

rum est, quod sicut in confessione dum peccator dicit, Peccaui milles in fornicatione, iste unicus confitendi actus terminatur actualiter ad singulas mille fornicationes; ita quod ad actus interiores dum penitenti displicent mille fornicationes, actualiter detestatur illas illo uno, eodemq; actu.

21 [Dupliciter ergo ¶ colligitur de singulis peccatis commissis necessarium esse de peccatis dolere. Vno modo, ita ut uni cuique peccato in numero respondeat sua propria penitentia actualis, ut tot actus penitentię habeantur, quot numero fuerunt peccata commissā. Alio modo, quod sit penitendum de singulis, secundum speciem, ita ut omnibus peccatis cōmissis unius speciei unica respondeat penitentia actualis, ut si decies per fornicationem quis peccauerit, satis sit illi habere unum actum, quo doleat se decies in illa specie peccasse, & ad hunc modum de alijs, & in iis sensibus non intelligo presentem quætionem.]

22 Sit ergo ¶ tertia conclusio. Satis est ad habendam cōtritioem singulorum peccatorum specialem, dum quis ad cōfessionem accedit, singula peccata per loca, & tempora mente explorare, quibus memorię oblati contritionem habere illorum: & hæc est singularis contritio, quamuis si numero posset habere detestationes, melius esset, ut inquit Sotus, dist. 17. q. 2. art. 3. tertia conclusio.

23 Verum D. Tho. ¶ q. 6. inquit, q̄ quantum ad principium contritionis, dum quis cogitat de peccatis, sufficit dolere eo ordine, quò occurrunt, ut dolore iuxta numerum peccatorum numerentur. Et licet dolores illi non sint prorsus contritiones, sufficit esse attritiones, sed tamen in termino, id est peracta indagine, quando contritio est iam formata per gratiam, sufficit ut sit una contritio pro omnibus. Sotus uerò inquit, hoc non bene posse intelligere: nā inquit ipse, aut qui mente inchoat indaginem suorū peccatorum, in principio ueram habuit contritionem in genere de offensis Dei, aut non: